

hiantes, iniquè cambiorum negotiationem exerceant, & vel duo, vel tria pro Cento lucrentur, atque ita præter poenam infernalem & æternam, temporalem quòque incurrant, & tria illa centúmque pariter atque simul perdant.

DISSERTATIO XV.

De Effectu & Modo procedendi ex cambio.

EX causis tandem sequitur effectus, qui principaliter semper attenditur, & in omnibus maximè considerari meretur, *l. 104. ff. de verb. obligat. l. 1. ff. ad l. Corneliam, de fidejussor. ubi Gloss. & DD. communiter.*

§. 1. Est autem effectus nobilissimus hujus contractus actio, quam producit, & ex cambio dicitur, sicuti enim emptio, venditio, locatio, conductio, & reliqui contractus proprium nomen & formam in jure civili habentes producant actionem suo nomini convenientem, *tot. tit. de act. empt.* Ita quòque ex hoc contractu nascitur actio, nomini congruens, *Bod. thes. II. lit. a. Rot. Gen. decis. 32. n. 4.* & civilis est, tanquam ex contractu nominato & jure recepto originem habens, *vid. dissert. 5. §. 2.* estque vel directa, vel utilis, vel contraria.

§. 2. Directa, quæ nascitur ratione causæ proximæ, si loco convento non fuerit soluta summa in litteris expressa, datur omnibus in cambiis nominatis quorumve interest. Et hinc (1.) remittenti. (2.) Ejus mandatario. (3.) Hæredibus contrafrassantem & ejus hæredem, acceptantem, fidejussorem, & constituentem, *Ludov. Einleib. zum B. P. cap. 1. §. 16.*

Utilis

Utile competit Proxenetis & aliis mediantibus personis ratione laborum, provisionis, & expensarum.

Contraria. Tribuitur trassanti contra remittentem ad consequendam pecuniam promissam sive valutam.

Ratione objecti in hanc obligationem & actionem non §. 3.
tantum venit quantitas, seu summa in litteris expressa, sed insuper ex officio iudicis id, quod interest. Cujus rationem iudex insuper habere debet, l. 2. §. 8. l. 8. de eo quod cert. loc. Tam ratione lucri cessantis, quam damni emergentis, l. 2. §. 8. in fin. ff. de eo, quod cert. loc. quod hic loco interesse venit, Marquard. de jur. mercat. lib. 2. cap. 8. n. 46. Et sqq. Scacc. de commerc. §. 7. Gloss. 2.

Causæ cambiales pluribus in plateis deciduntur in proprio §. 4.
mercatorum foro coram Consule & Consiliariis ad hunc finem electis, & autoritate Magistratus aut Superioris cujuslibet plateæ confirmatis, hujusmodi Magistratum ex Consule & duobus Consiliariis constantem habet Respublica Genuens. vit. Capit. feriar. Genuensium n. 18. Scacc. §. 2. Gloss. 4. n. 8. Bolzanum, Böhner W. D. und andere Märkte privilegia art. 1. Et sqq. Ubi mercatores similem Magistratum (qui controversias ex mercatura emergentes propria autoritate dirimat) non habent, adiri debet Iudex ordinarius, qui, ut in omni actione personali civili, vel ex loco domicilii, vel contractus, vel destinatae solutionis, si ibidem reperiatur debitor, Heidig. cap. 12. in pr. p. m. 113. vel arresto, Ludov. Einleith zum W. P. cap. 5. §. 12. ad regulas Juris communis talis censetur. Interim solent mercatores causas cambiales & mercaturæ per modum compromissi absque figurâ & stre-

& strepitu judicii summarie & omisfis Juris apicibus etiam coram Judice ordinario finire; de cætero in causis cambialibus multa pendent ex stylo & consuetudine Judici fortan ignota, propterea, ne gravius aliquod præjudicium ipsis pariter atque toti mercaturæ attrahatur aut irreparabile damnum generetur, ipsi sæpius Magistratum sive Judices ordinarios de stylo informant; dum ad facti speciem compendiosè in scheda quadam concinnatam peritoribus nomina sua subscribentibus respondent, quod italico idiomate *parere* nominant, cui tamen plus fidei non attribuitur quàm attestationibus peritorum in quavis arte, neque tenetur Judex præcisè & simpliciter illud sequi, sed pro ipsius informatione solummodo servit. Ludov. Einleith. zum W. P. cap. 12. §. 4.

§. 5. Modus procedendi ex cambio est, quod facta præviè legitimæ rei citatione, quæ principium est & fundamentum judicii, *Text. in §. fin. Instit. de pœ. temer. litig. l. 47. ff. de re judicat.* vel in scriptis. Cui adjungere copiam libelli & litteræ cambialis ex qua agitur, consultum est. Per ea quæ tradit Gail. 1. obs. 51. n. 1. vel oraliter, quod sufficere tenet Ludov. Einleith. zum W. P. cap. 7. §. 1. & 4. nuntio insimul causam citationis notificante, quæ in citatione semper exprimenda est. Gail. cit. loc. Jacob Ayser in *histor. process. jur. part. 1. cap. 3. obs. 3. n. 28.* petitum non secus, ac in processu executivo dirigendum ad juratam recognitionem vel discessionem cambii, subscriptionis, contentorum, simul & indossamenti, sic cambium indossatum fuerit, & summa in indossamento non sit expressa, quo casu non sufficet agere ad recognitionem solius indossamenti, sed insuper ad recognitionem

tionem litteræ cambialis concludere necesse est, Ludov. *Einleith. zum B. P. cap. 6. §. 5.* quod citationi inferendus sit actus (recognitionis) notat Ayter *loc. cit. n. 29.*

Citato contumacialiter emanante in præfixo termino (qui §. 6. non ordinarius sed pro arbitrio Judicis brevior constituitur, quod summarie vulgo *Nothgedings Weise* procedatur) vel ad primam citationem, si in eadem comparitio sub pœna recogniti injuncta fuetit, ut injungi posse causâ moram haud patiente affirmat Ludov. *cap. 8. §. 4.* vel ad alteram, cui pœna recogniti communiter inferi solet, nisi reus justas impedimenti causas allegans dilationem termini petat, quæ eo casu deneganda non esset. Arg. *l. 7. l. fin. ff. de fer. & dilat. l. 1. cod. de dilat.* cambium pro recognito habetur, & juxta rigorem juris cambialis actore rei contumaciam accusante condemnatur ad solutionem summæ libellatæ. Formulas pronuntiandi in casu contumaciæ proponit Ludov. *cap. 12. §. 5.* Actoris contumacia coërcetur hoc modo: Si actor in in termino emissæ citationis non compareat, reus contumaciam actoris accusare & absolutionem à citatione potest, quæ & merito subsequitur. Text. in *l. 73. §. 1. ff. de judic. Novell. 112. cap. 3. §. 2.*

Ad emissam citationem comparens reus non auditur in §. 7. exceptionibus dilatoriis ordinem processus respicientibus, quæ sunt de apicibus juris & in foro mercatorum rejiciuntur, Gail. *2. obs. 27. n. 7.* Exceptiones verò dilatoriæ ad substantialia processus pertinentes, sic ut nullitas pertimescenda foret, si eis non deferretur, semper attendendæ veniunt, quales sunt exceptiones non communicati documenti, sive litteræ

cambialis, legitimationis ad causam, incompetentiæ fori, præventionis, & litis pendentæ, indulti moratorii, dummodo id legitimè fuerit impetratum. Exceptio verò excussionis, si alius tanquam fidejussor simul subscripserit cambio, locum non habet inter mercatores, Bod. thes. 12. lit. a. Marquard. de jure commerc. & mercat. lib. 3. cap. 8. n. 7. Berlich. part. 2. conclus. 24. Hering. de fidejuss. part. 1. cap. 27. n. 282. neque divisionis, si plures simul cambium trassaverint vel acceptaverint, Ludov. cap. 10. §. II. exceptionem tamen cedendarum actionum, quia causam non retardat, in cambiis obtinere censet idem Ludov. loc. cit. §. 12.

§. 8. Quoad exceptiones peremptorias nota, quod citatus quidem non soleat recognoscere purè & simpliciter, sed salvis exceptionibus, peremptoriæ tamen non admittantur nisi in continenti probari possint. Heidig. cap. 14. vers. Endtlichen seynd p. m. 128. Bod. thes. 9. lit. b. quas & hic Colonix admittendas judico non obstante statuto eas absolutè & simpliciter prohibente, Statt Cöllen W. O. §. Viertens. quod per tale statutum non videantur exclusæ exceptiones, nisi altiore requirentes indaginem, Ludov. cap. 11. §. I. p. m. 162. Consequens igitur est, quod exceptiones minorennitatis. S. C. Macedoniani se ipsis liquidæ insuper solutionis, compensationis, transactionis, rei judicatæ, similesve incontinenti justificabiles omnino respiciantur, quia circa quasdam exceptiones majus remanet dubium, capropter ad eas in specie discutiendas progredior, & quidem

§. 9. Primò dubitari posset, num exceptio non numeratæ pecuniæ cambio opponi possit? quod in cambio trassato ab accep-

acceptante opponi nequeat, dict. *sup.* *Dissert.* II. §. 7. an verò
à trassante si ab hoc valuta repetatur. Distinguendum puto.
Sitne cambium adhuc in prima manu, & opponitur, si
de eâ incontinenti E. C. per propriam remittentis manum
doceri possit, ex dict. §. *præced.* Si verò cambium mediâ in-
dossatione pervenerit ad manum tertiam. Subdistinguo. Vel
enim tertius purus est remittentis mandatarius & trassans hac
exceptione mox justificabili utetur, vel tertius est propieta-
rius, quia valuta pro indossamento dedit, & nullatenus tras-
santi concedendam, licet de eâ constaret, judicat Dupuy
cap. 5. n. 22. Accedit ratio, quod indossatus negotiando cam-
bium secutus fuerit fidem omnium in litteris nominatorum,
adeoque suæ imputet levitati trassans, quod litteris crediderit,
fidemque de valutis habuerit. Ex paritate rationis, excep-
tiones compensationis, & solutionis tertio, qui dando va-
luta cambii dominium sibi acquisivit, non opponuntur.

Exceptio præscriptionis contra cambium quidem locum §. 10.
sibi vendicat, verum tempus ad eam complendam requisi-
tum ex diversitate statutorum variat, sic Lipsiæ cambio tras-
sato infra quatuor septimanas, proprio infra annum præscri-
bitur, nisi vel causa pia, vel creditor ante effluxum annum
mortuus esset, & superadditur alter in cambio proprio, Leip-
zig. *B. D. art.* 32. Lugduni inter ibidem commorantes &
bilantium servantes uno, inter alios tribus annis cambio præ-
scribitur, *Lyonsische B. D. art.* 10. Genuæ quatuor annis
præscriptio in cambialibus completur, *Scacc. de commerc.*
§ camb. §. 7. *Gloss.* 1. n. 7. Hæc tamen præscriptio solum-
modo obtinet contra acceptantem, si verò in casu denegatæ

acceptationis ratione indemnisationis præsentans agat contra
trassantem, vel etiam acceptans valutam repetat, recurren-
dum est ad præscriptionem ordinariam triginta annorum.
Ludov. cap. 11. §. 7. Ulteriùs per hanc præscriptionem non
amortizatur ipsum debitum, nam licèt ex cambio nihil peti
possit, sic ut nequidem valeat in vim obligationis, uti sonant
verba statutorum allegatorum soli tamen Juri & rigori cam-
biali præscriptum est, ita, ut si creditor aliâ viâ, E. G. ex
libro, per testes, aut deferendo juramentum debitum justi-
ficare velit, audiendus sit. *D. Konigke in not. ad §. 2. ordi-
nat. camb. Lipsiensis verb. Serner darauß.* Hic Colonia
sicut & aliis in plateis, ubi speciali statuto certum præscriptio-
ni complendæ tempus non est præfinitum, attendi debet Jus
Justinianæum, & requiritur spatium triginta annorum, quo
actioni cuivis personali non exceptæ & specialiter non sublata
præscribitur, *l. 3. cod. de præscript. 30. vel 40. annorum.*
l. 1. §. 1. cod. de annal. except. sic, ut concurrentibus cæteris
requisitis debitum planè extinguatur, *cit. l. 3. cod. de præscript.*
30. vel 40. annor. Non interruptit hanc præscriptionem
protestatio ob non secutam solutionem legitimo tempore in-
terposita, attento, quod nec de jure communi actor mediâ
protestatione actionem suam prolongare aut præscriptionem
interrumpere possit, Rogger. *de protest. §. 6. n. 13. §. 14.*
effectus hujus protestationis est, quod præsentans regressum
contra trassantem & indossantes salvum habeat, *vid. Dissert.*
13. §. 5. §. 6. Nec obstat, quod actionem quoque habeat
contra acceptantem, quia hanc ante completam præscriptio-
nem instituere debet. Citatio tamen sola præscriptionem
inter-

interrumpet; siue ex statuto brevius tempus ei complendæ præfixum sit, *l. 2. cod. de annal. except. Felin. in cap. illud. n. 2. de præscript.* siue ordinaria fuerit temporis longissimi. *l. 7. in pr. cod. de præscript. 30. vel 40. annor.* Si verò debitor impetraverit indultum moratorium, præscriptionem haud currere, sed quasi dormire sentio cum Freudenbergo. *de rescript. morator. conclus. 58.* cum non valenti agere non currat præscriptio, *Text. in l. 1. §. 2. cod. de annal. præscript. ital. contract. tollend. Text. in l. 1. ff. de divers. temporal. præscript.* Verum quia nonnulli DD. contendunt, creditorem teneri, cambium intra legitimum tempus saltem producere & recognitionem urgere, licet executio usque ad finem indulti protendatur, tutius erit in Praxi ultimam sententiam sequi.

Post juratam recognitionem, & quidem in persona propria rei Ludov. *cap. 9. §. 3.* præcescit, vel si aliunde de veritate cambii constet, exceptiones verò relevantes & incontinenti justificabiles obmoveri non possunt, non superflunt partes iudicis, nisi in condemnando citatum ad solvendam summam litteris contentam simul cum omni damno interesse, & expensis litis, Heidig. *Anleith. zum W. Recht. cap. 12. vers. Auf solche. p. m. 116.* Ludov. *cap. 12. §. 6.* Ubi tradit formulam pronuntiandi, & observat, quod sententiæ non inferatur terminus solvendi, sed simpliciter injungatur solutio, absque ullâ dilatione præstandâ, quando citatus litteras jurato diffessus est, neque aliunde constat de veritate cambii, sequitur absolutoria, cujus formulam ponit Ludov. *loc. cit. §. 7.*

§. 12. Quæres, an recognoscens subscriptionem ad diffessionem contentorum admitti possit, si ad hanc se offerat? Ludov. cap. 9. §. 5. & 6. Sustinet admittendum, si ea, quæ contra cambium allegat, nitantur motivo verosimili, E. G. Si probet se chartam blancam ad alium finem exposuisse, contra intentionem verò suam cambium inscriptum esse, si in extensione litteræ nec locus, nec tempus sit determinatum, si subscriptio & contenta non sint eâdem manu & atramento scripta: secus si allegata verosimilitudinem non præferant, sed altiore requirant indaginem, pro quo decernendo prudens judicis arbitrium subintrabit.

§. 13. Publicatâ sententiâ, si solutio statim non sequatur, contra condemnatum paratâ executione proceditur in bonis mo- & immobilibus, Bod. de camb. thes. 9. lit. B. Quæ si nulla possideat, ad arrestum etiam personale deveniri posse tradit Ludov. cap. 14. §. 1. Dupuy cap. 17. n. 2. Quod ampliatur, ut à sententiâ ejûsque celeri executione pluribus in emporiis appellatio simpliciter sit prohibita, Heidig. cap. 12. vers. So findet / p. m. 119. Ubi similis prohibitio non reperitur appellationes in cambiis quidem permittuntur; sed effectum non nisi devolutivum, minimè suspensivum operantur, Reichs-Abscheid de anno 1654. §. Als auch bey denen Handels-Stätten 107. Sic quidem, ut in arbitrio primæ instantiæ judicis reponatur juxta rei circumstantias, cum vel absque præstita per creditorem cautione, executionem facere, quod vel maximè hic Colonia obtinet, cum Ordinatio cambialis Coloniensis, §. viertens ad dictum Recessum Imperii per expressum se referat, extende jam dicta ad reliqua reme-

remedia suspensiva, leutationem, supplicationem, revisionem ex generalitate sæpe memorati R. I.

Coronidis loco quæstionem satè intricatam pono sequentem. §. 14.
In qua classe scilicet solvenda sint debita cambialia, casu, quo concursus creditorum super bonis debitoris fuerit excitatus. 2. Et ad ultimam merè chyrographariorum creditorem ex cambio remittendum judico, utcunque pecunia ad cambium data adhuc in naturâ existat penes debitorem, qui non eandem, sed similem restituere tenetur, Ludov. Einleith zum Concurf. Process cap. 9. §. 4. Excipe 1. Si ex statuto loci debitum cambiale gaudeat aliquâ prærogativâ personali, ut Dantischi Danzig. W. D. art. 33. in Borussia Preussische W. D. art. 33. Marcâ Brandenburgicâ, Mark Brandenburg W. D. art. 37. Excipe 2. Si clausula hypothecæ bonorum cambio inserta sit, dummodo hypotheca extrajudicialis validè constituatur, Ludov. Einleith zum W. P. cap. 16. §. 6. Excipe 3. Si arrestum prius impositum fuerit, pro patriis quibus arrestum (ut in Saxonia) jus præferentiæ tribuit, dùmque pariter calamo id ipsum pingenti arrestum injicit brevitatis amor, veniam, si quæ pro dignitate & perplexitate hujus materiæ minus concinnè scripta fuerint, humillimè rogitò, Deus interim ter Optimus, Maximus, cui soli Laus, Honor & Gloria, Studia mea ad finem dirigat sibi beneplacitum.